

„ bemus ; sed & eos etiam qui ordinaverunt . *Et Ca-*
 „ *none XXIII.* Ut nullus , sive Episcopus , sive Presbyter ,
 „ sive Diaconus , immaculatam prabens Communionem ,
 „ ab eo qui communicat , ejus participationis gratia ,
 „ obolos , vel quamvis aliam speciem exigat : Non est
 „ enim venalis gratia , nec pro pecuniis Spiritus sancti-
 „ ficationem impertitur : sed ea iis , qui digni sunt ,
 „ absque ulla est calliditate communicanda . Siquis au-
 „ tem eorum , qui sunt in Cleri catalogo , ab eo , cui
 „ immaculatam impertitur Communionem , ullam spe-
 „ ciem exigere visus fuerit , deponatur , ut Simoniaci
 „ erroris & maleficii æmulator „ . *Nicæne Secundæ Sy-*
 „ *nodi , Septimæ œcumenicæ , Can. VI.* „ Ut turpis qua-
 „ stus affectio a Christianis radicitus evellatur , statue-
 „ runt Patres , non licere Antistitibus , ab iis qui sibi
 „ subsunt Episcopis , Clericis , vel Monachis , aurum
 „ vel ullam quamcumque rem exigere . Antistitem au-
 „ tem , qui aliquem ex suis propter ullam ejusmodi cau-
 „ sam segregat , vel non sinit propterea in divino tem-
 „ plo divinum celebrare ministerium , talionis erit legi
 „ obnoxius , idest , qui sic segregavit , segregabitur „ .
 Idem Nicæne secundæ Synodi Patres , *Canone V.* Cle-
 ricos , qui primum quidem sponte & pia mente pecu-
 nias in Ecclesias afferunt , vel aliqua alia , postea autem
 propter donationem a se factam , se jactant , & primas
 sedes prioresque honores quarunt , & ideo impudente
 vultu & ore aperto , probrosis & contumeliosis verbis
 confratres suos , qui propter actam ex virtute vitam a
 Sancto Spiritu electi sunt absque ulla auri spontanea
 largitione , vilipendunt ; decernunt , ultimum proprii or-
 dinis gradum eos sumere ; sin autem perseveraverint ,
 inflata quoque poena esse corrigendos . Siquis autem ab
 initio , non ita liberali & sponte suscepta voluntate , sed
 ut ordinetur , vel in Clerum recipiatur , vel aliquo alio
 modo in Ecclesia eligatur , absolutionem fecerit , is qui talis
 est , puniatur , ut vult *Can. 29. Apostolicus , & Can. 2.*
Chalcedonensis . Et Canone XIX. ejusdem Synodi , ita-
 tuunt , Episcopos vel Monasteriorum præfectos , qui eos ,
 qui